



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Cornelii Cvrtili Cæsarei Consiliarij et Historiographi
Ordinis Eremitarum S. Avgvstini S. Nicolavs Tolentinvs
alijque aliquot eiusdem Ordinis Beati**

Curtius, Cornelius

Antuerpiæ

B. Henricvs De Bolsano Sive Bavzano, Avgvstinianvs Veronensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37243

B. HENRICVS

DE

BOLSANO

SIVE

BAVZANO,

AVGVSTINIANVS VERONENSIS.

BOLSANVM in Tirolì celebre à
 nūndinis oppidum HENRICO
 patria, pater opulentus mercator
 fuit: qui, distrahentibus eum mer-
 cibus, Ratisponæ in Bojariâ annos
 aliquot, ultimos denique Veronæ
 peregit. Patre demortuo cum pin-
 guem hereditatem HENRICVS ad-
 iret, ille alios sibi heredes vivos ad-
 huc nominavit, immò fecit, paupe-
 res mendicosque; in quos omne
 suū patrimonium dispensavit, mul-
 tò avarior & cautior patre merca-
 tor, qui opes suas non velle crede-
 re aliis, quàm quos sciret fidem
 non unquam fallere, sed sortem
 certò & magno cum fœnore red-
 dere. Omnium ergo rerum jam nu-
 dus,

dus, adeoque ad iter quamvis longum expeditus, totum mundum exiit, & Augustinianis muris ad D. Euphemiae se Veronae inclusit. Decennium illic traduxit in precibus assiduis, continuis jejuniis, rerum divinarum pia meditatione; ut mundo plane mortuus esse videretur, & verè esset. Ut autem illi quoque mundus commoreretur, eò au- fugit, ubi nullam mundi umbram videret, nullum ejus levem etiam strepitum audiret. Fugit, inquam, Thoma Argentinate, qui clavum Augustinianae navis tum regebat, assentiente, ex urbe Verona in fastigium vicini montis, qui S. Felicis nomen habet, caeliq̄ue viciniam habitavit. Quia verò non ignorabat se, quantò longius à mundo, tantò propius à callido veteratore daemone abesse, qui per loca deserta ambulat; ut in communem humani nominis hostem se obarmaret, quod ad panopliam deerat, petivit ex sancti Guilielmi armamentario; scilicet, textam annulis ferream tunicam, quam nudae semel

carni induram, nunquam deinde exiit; flagrum indidem ferreum, quo tam immaniter in sese desaxiit, ut obstupidus diabolus, & tam crudo spectaculo territus, non ausus fuerit propius accedere, aut in tam armatum virum vires suas experiri. HENRICVS ergo cum in hac ad astra non molli via per tribulos spinasque sese diu fatigasset, à Deo tandem in beatitatis rosâ collocatus est, anno salutis millesimo trecentesimo & quinquagesimo. Cadaver conditum in oratorio, quod ibidem sibi cum Præsidis auctoritate construxerat.

Anno denique supra millesimum & quadringentesimum septimo, dum urbi tuendæ munimentum in eodem monte Veneta Republica excitat, pretiosus hic thesaurus à fossoribus repertus est, & cum illo ferreum flagrum & lorica, sacræ militiæ arma, quibus Orcum oppugnavit, & Cælum expugnavit. Quod quia die S. Joanni Baptistæ natali contigit, quo etiam Veronensibus vetera confirmavit,
&

& nova privilegia Respublica indul-
dit, Angelus Barbarigus Eccle-
siaz Veronensis Pontifex, & Roma-
nae Cardinalis, supplicante civita-
te, Augustinianâ Religione non re-
fragante, sacra HENRICI lipsana in
eodem Episcopali aulae contiguam,
cui *Ioannes à Fontibus* titulus est,
transtulit: ubi populi ingens sta-
tim, sed Germanorum imprimis ac-
cursus maximus fuit, editaque plu-
rima, quae posteri hodieque mira-
mur.

L f B.FRI-